



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XX. Quos, & quomodo S. Ignatius ex Societate dimitteret.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

dantur futuri postea effrænatiores, si sublato metu, quo utcumque tenentur ad professionem admissi fuerint. Lethale profecto Societati vulnus foret, si per *imprudenter* quam vocat S. Ignatius *in retinendo caritatem*, superiores rationibus illius minium humanis ac teneris; vel creduli emendationis, illos retinerent, quos iam inde ab initio peruiderunt futuros ad eam ineptos. Itaque nonnullis quandoque intercedentibus expulsionem alicuius, quam ipse decreuisset; & hunc, aiebat Sanctus pro quo satagitis adscripturi eratis in Societatem, si vobis, qualis est, constitisset: finite igitur dimissus abeat, ob hoc enim admissi probantur, ut perspiciantur; ob hoc perspicere debent, ut si malæ frugis comperti fuerint, amandentur. Et vobis, addebat, per me, cura sit admittendi: dimittendi curam mihi permittite. Externis vero interdum visentibus, domo tota comiter circumductis, in egressu ad ianuam, & hæc nobis, dicebat, carcer est, atque huius beneficio nec domi carcerem habemus, nec quos carcere claudamus. Porro illa seu nobilitatis primariæ, seu doctrinarum illustria decora, quæ laucem alteram vitiosam apud minus prudentes attollunt, nec finunt tot dotibus præditos regredientes in seculum, irretorto oculo ab iis adspici, hæc, inquam, momenti nihil apud eum obtinebant, vel ad seruandos immeritos, vel ad molliendum dolore animum, cum ex impatientia disciplinæ cerneret illos discedere. Sic Theotonij, vnâ se ac Societatem, inquietissima indole absoluit, & erat hic Ducis Bragantiæ filius, & magno patruo Emanuele, Lusitaniæ rege venerandus: sic & Ducis Biuonæ consobrino eodemque affine Ioanni de Vega Siciliæ proregi, viri sancti amico in paucis, summæque in illum benefico, nec Ribadeneira (cui se cum lachrymis quamlibet ad pœnam paratus iuuenis commendarat) suadens, & supplicans euincere potuit, quo minus illum dimitteret; sic inter alios (de quibus paulo post) eruditos viros, Christophorum Lainium abiecit, Iacobi Lainij sibi carissimi germanum; cui cum saltem pecuniæ aliquid rogaret idem Ribadeneira, quod & victu Romæ, & in Hispaniam careret viatico; mihi vero, Petre, si totum Peruuium auro fluat, ne obolo quidem inquit, iis succurrero, quos religiosi ordinibus sua ipsorum culpa extruserit. Quam mentem beati fundatoris serio illi necesse est capiant, qui vel transfugæ ab Societate, vel quod idem est, eiectionem ex ea commeriti, mercedem sibi laborum despondent, quos in ea susceperint, velut ipsos non Deo donassent, sed Societati scenerassent, & demptis vsuris quæ in alimenta perciperunt, sortem in discessu, velut crediti iure, repeterent.

Iam vero dimittendi causas, consultius fecero, si ex vsu ipso quem tenuit semper constantem Societas, ostendam; quàm si ex secunda constitutionum parte huc illas transferam: nec multis fuerit exemplis opus; SS. Ignatij, Xauerij, & Simonis Rodericij, in hoc genere acta, hunc morem exhibebunt. Ignatius quidem Castimoniæ Sanctitatem, cum Angelis similem in Societate esse vellet, ne suspitionis quidem umbra fuscari sustinuit. Quare nescio quem licet duci Biuonæ, quem iam memorauit gratissimum,

XX.

Quos, & quo modo S. Ignatius ex Societate dimitteret.

tissimum, cum aliis octo amouit ab Societate, de quibus qui sancto ab secretis tunc fuit, hæc ad memoriam notarat, *Cum hoc anno, inquit, quidam in Collegio parum honestè se gessisset simul cum aliis octo, qui vel minimum culpa habere videbantur, à P. Ignatio de Societate expulsus est, ac in Siciliam remissus, quamuis inter hos essent aliqui, valde nobiles, & in latinis egregiè versati.* Prope apud illum ab hoc genere aberant, duræ cervicis ingenia, & iudicij pertinacis. Cuiusmodi fuit quidam ex Bœtica Franciscus Marinus, multarum homo literarum, magnisque agendis, ante in sæculo versatus. Hic in officio ministri, quo in domo professâ, Romæ fungebatur, tam se obfirmatum in suis sensibus præbuit, vt quacumque animum obstinasset, inde vix vlla imperij, nedum rationis & precum autoritate moueretur: ineptum iubendo Ignatius censuit, qui flecti non norat ad parendum: ministerio amotum, tentauit exercitiis spiritualibus in molliorem temperationem recoquere, & magnis promissis, optati spem Ignatio dabat. Verum hæc pietas marmoris fuit ad austrum sudor, visulque foris totus liquefcere, nihilo intus, quàm antea facilior euasit. Quod bellè Hieronymus Natalis initio viderat, aiens vereri se ne is Exercitia infamaret, hoc est, fructu solemnî fraudaret conuersionis expectata. Ministerio redditus, ad duritiem pristinam mox redit: cuius rei, multa iam de nocte certior factus Ignatius, mittit qui lecto excirent decumbentem, iubet absque illa quoque mora, quam ad matutinum crepusculum rogabat, discedere; simul vt exemplo terret similes; rēque ipsa doceret quod sapius dixerat, se cum ceruicoso, ne noctem quidem vnā eodem sub recto moraturam. Affinis huic genio fuit Maximus alter Antonius nomine Parisiensis Doctor, genere hispanus, qui primus in Collegio Rom. Philosophiam est professus. Hic nonnulla in Societate improbat, quod ea nimirum saluam suam non saperent, nec dissimulanter quod perperam senserat, effutiebatur palam. Hominem Ignatius aduocat, monet non decere ab Aristotele Evangelio præscribi; nec Philosophiam haberi pro sanctimoniam arbitram; nihilque omittit quo illum ab errore abducatur: sed ita suarum tenacem imaginum, suisque defixum in sensibus nactus est, vt cuncta incassum reciderint; quare illum confestim à nobis amandauit. Eius autem discessu, cum ex penuria magistrorum magnis angustiis cursus arctaretur (decem enim vix tandem professorum successione confectus est) non tenuit se P. Gonzales, quin eius viri apud Ignatium deprecaretur iacturam ac doleret; cui subridens, age, itaque, ait, eumque ad mentem reducito. Quod fuit perinde vt sanationem illius desperare, & certè huiusmodi, frangi magis possunt, quam flecti, & corrigi, quod in alio quodam Theologiae studioso, natione germano patuit, quem dæmon nouo delirij genere sic dementauerat, vt se nulli iactaret subiacere, nullius imperiis esse obnoxium, sed suo vnus ex arbitrio pendere, quod esset S. Pauli spiritu præditus: cui stultitiæ ex eius cerebro reuellendæ, qui domi erant Theologi, foris alij, ipsēque Ignatius cum frustra laborassent, nec valeret induci ad obtemperandum, fuit denique expellendus. Præter hos quidam peregrina sectari soliti pietatis hexoticæ inuenta,

inuenta, nullo modo ab Ignatio ferebantur. Erat in Rom. Collegio Soldeuilla Sacerdos Theologus Catalanus, abiectâ is orandi forma, Societatis vsu trita, nouas excogitauerat quaedam imaginosi capitis contentione fabricatas, (quibus nullâ magis illusioni viam paridunt) earum item magister effectus, secretis coitionibus noctu in sacellû cum iis quos sibi adiunxerat, multas horas, torquendo violentis meditationibus cerebro, contebat. Inde aliquorum ex eius sequacibus tentari, defluereque valetudo; inde vnus etiâ in iis eximius intabescere; inde anxius causâ Rector, insolentis genij, quem in ore quorundam legēbat, venas sollicitè rimari, quo factum vt tandem, condicti nocturni deprehenderet nidum, eosque in illo arte proba incautos occuparet. Re ad Ignatium delata, errorem omnium in eorum auctorem refudit; & diurna sui flagellatione, in vtroque, Collegij domusque triclinio multatum expulit; docturum hinc palam, si luberet, quod nisi clam docere metuerat, vtpote conscius arrogati sibi præter imperitiam suam magisterij. Nec multum abfuit quin iure eodem, cum duobus aliis ageretur cæteroqui præstâtissimis, Andrea Onophrio, quos contemplandi dulcedo ita illexerat, vt vellent quidem permanere in Societate, sed vitam desertis in locis agere, de quo eiusmodi ad Ignatium literas dedere, quibus facti magis approbari petebant rationes, quam faciendi facultatem. Sed viri cum essent virtutis solidæ, nollentque periculo Societatis amittenda, obedientiæ obstat, totos se illi permisere. At is grauius oburgatos, minatusque condignam auctoribus schismatum scissionem, Francisco Borgiæ fortibus literis mandauit in viam reducere, sed vbi deteris oculis viderunt Deo minimè placere, quæ Dei vices agentibus displicerent, vltro ipsi in viam nullo eius labore rediere; Ad hæc quicquid sinistri quidpiam ingeneraturum animis timebatur, confestim vt iactum rescisset, solo hæere non sinebat. Concionatus fuerat argentario in foro Hieronymus Natalis, partim abiiciendi sui, partim auditoris iuuandi studio: Francisco Zapata nobili Toletano, vile id sapuit, viroque honesto indecorum: itaque domi vt casus tulisset dicta dicere in Natalem, vellicare, seplasiarium prædicatorem vocitare. Vix ad Ignatium res venit, idque de nocte iam media; consiliario nemine, imo nec conscio, iubet reum e somno vestes recipere, quibus vsus fuerat secularis, & postridie summo mane suas sibi res habere: quod erroris quidem tunc sui conscium, sed serò effecit; licet enim flens omnia sponderet, omniaque deferret, nunquam Ignatium cepto defletere valuit: ergo S. Francisci ordinem complexus in eo magna doctrinæ laude pietatisque vixit, nec propterea vnquam ab amore & obseruantia in Societatem, & Ignatium destitit. Addam vltimo loco narratis casibus, delirationes, pœnâque Guilliemi Postelli, Barentone in Normannia oriundi. Hic in mathesi & philosophicis, in re medica, & theologicis erat eximie versatus; latinè præterea, græcè, hebraicè, syriace quoque, chaldaicè, linguisque aliis adeo instructus (nam, & quaedam earum edidit regulas) vt iactaret

se absque interprete percurfaturum facile ex Gallia in Sinas, seque ab interiectis tot populis, sua cuiusque lingua capiendum. Et vero fama est totum orbem lustrasse, ad cognoscendos omnium gentium mores, formamque imperij, & sacrorum ritus, apud Franciscum primum Galliarum Regem in pretio fuit, & apud Margaritam Navarra reginam multosque Cardinales, Parisiis vero cum doceret, portentosi ingenij, hac memoriae ostento fuit. Hic ergo ingens quo mirè ardebat Societatis desiderium voto sanxit, & Romæ die quodam, septem, ut solet, visens Ecclesias, in ara cuiusque principe suo id votum firmavit chirographo, adstrinxitque diserta qua teneri se volebat hac lege, obtemperandi scilicet ad nutum Ignatio, seu cuius alteri, qui sibi Dei vice præesset. Inter nostros adscriptus, aliquamdiu specimen dederat futuræ virtutis egregium, cum repente atque improvise propheta novus, cæpit futurorum vaticinia edere, ex Rabinorum deliriis & iudiciis syderum concepta, hisque tanquam oraculis summa fide adhæsit. Damnabant illa pro puerilibus, & vanis Lainius, Salmeron, alij ad illum ab Ignatio summissi; Mathematicis, & linguis cultissimi, viri graves; reuincebantur euentis planè contrariis, & falsi coarguebantur; errori tamen mordicus affixus induci non poterat, ut se ab stolidis artibus abstineret. Longum sit dicere, curatione quàm multiplici vir sanctus, sanare id caput nilus sit, quæ cum omnes in cassum reciderent, Pontificis Vicario committit hominem, insolenti malo remedium insolens experturus, ut quæ pollebat prudentia vir solers, tum auctoritate, tum doctissimorum quos Romæ habebat iudicio, illum sua somnia dedoceret; vel si corrigi non valebat, vagus sanè ut ante cursare pergeret, domum quidem nostram pedem denuo non inferret. Expressit quæ per se Vicarius, quæ rationibus, & iustis eruditorum explosionibus, quibus manifesto sui ludibrio deceptus monstrabatur, ut fateretur se errare, scriptoque erroris, & vanitatis condemnaret, quicquid eatenus ariolatus esset; sanctè præterea sponderet, nunquam se ingenium, aut stylum commodaturum arti tam noxiæ, aut vaticiniis edendis mentem adiecturum. Manibus hoc manus propriæ, solemnibus syngrapho, & Vicarij commendatione qua totus alter asserabatur fore, ad Ignatium remittitur, excipiturque haud minus humaniter, quàm cautè. Subdolis enim præter Theologiam S. Thomæ codicibus aliis, ad ministeria domestica adhibetur, veraturque tantisper rem sacram facere, quæ omnia vilis est æquo animo ferre, demone induciis breuibus curiositatem eius differente, ut in eam ad primos insultus, retardatione factus ardentior, homo si quis alias vsquam leuissimus, relaberetur periculosus; ac si occasio fauisset: alios interim sua illa non tantum diuinandi pice, sed quam dehinc prodidit, sceleratiori, malè de fide sentiendi pessimè inquinaret. Suum tamen hosti maligno consilium non processit; suspectus enim semper Ignatio Postellus, mox ut compertus est eiurata nugarum pericula reperere, statim à nobis eiectus est, cunctisque domi seuerè indictum, eius colloquio non modo abstinere, sed & occurrentis salutatione, ut qui doctrinæ

doctrina parum sana, in præceptis tendere videretur. Nec purpuratæ intercessioni fas sibi putavit Ignatius cedere, iteratam illi restitutionem postulanti. Quare apud Cardinalem quendam, aliquamdiu moratus, multisque, & grandibus futurorum promissis illi adulatus, mutata repente velificatione, concionabundus Marchiam obiit, & deserente se iam bono spiritu in errores lapsus gravissimos, & offensionis in populum magnæ, palam tandem magister hæreseon euasit. Inde cum aufugisset Venetias, arctissimam iniit cum femina quadam necessitudinem, elaboratæque ex suis delictis eius horoscopo, qui se Deo afflatum, somniabat ventura proloqui, in eam à dæmone amentiam actus est, vt illam feminam ariolaretur feminatum perinde futuram redemptricem, vt Christus virorum extitisset, idque nouo quodam quem commentabatur Messia aduentu. Sed in hac mira illius expectatione, Venetiis Romam in compedes datus est, duroque illic & longo carcere maceratus; tunc sui iam memor, eoque demum respiciens, vnde se illuc priuati adoratrix iudicij superbia egerat, fuga supplicium imminens eludere voluit. Fenestra itaque dum se dimittere conatur, præcepto toto corpore alliditur & brachium frangit, cuius dolente extortis clamoribus deprehensus, forti catena in carcere vincitur; vbi multis annis, artium suarum nimis certò fallaciam didicit, quæ sibi tam tristes, & miserabiles successus non aperuisset. Tandem eius absoluta iam causa, vel vt alij scribunt, per fugam elusa, Basileam secessit, subinde in Galliam, illic imminuti capitis diuinando; docendo hæretici famam sustinuit, ac demum centenario grandior damnatis vt fertur, erroribus, Catholicus obiit. Ex his vero paucis quos ab Ignatio dimissos recensui, ne quis dimittendi colligat parcitatem, die ipso sacro pentecostes, ex Collegio Rom. duodecim domum suam remisit. Vtque omnibus planum esset, non minore nostro compendio, improbos à nobis eiici, quam probos seruari, alacritatem prætulit eo die solito maiorem. Quo virilis, & rectæ caritatis sensu imbutus B. Borgia, tria sibi ex nostris læta dicebat accidere; cum ingrederentur in Societatem, in eaque obirent: & vero etiam cum ex ea expulsi abscederent. Quod vt rebus ipsis Ignatius edidit, sic prorsus voluit ab iis qui præerant in exemplum duci. Cum enim rescisset in Lusitania turbulentos esse, ac refractarios Obedientiæ nonnullos, Prouincialis imprudentem, in iis diu ferendis caritatem acriter reprehendit, ac tum illi, tum reliquis per Societatem superioribus, præcepti religione imperauit, quoscumque inquietos, rebelles, & immorigeros inuenissent, quantæcumque ij notæ forent, constanter dimitterent: quare Leonardus Cleselius Coloniae Rector, imperatis insistens, partem Collegij, quod sociorum quindecim tunc erat, mediam eiecit. Verum austerioris facti conscientia quadam ictus, vt gestum fuerat ad Ignatium scripsit, veniam rogans, si perlectis eius pœnæ causis, transiisse lineas videretur. At is veniæ loco (vbi culpæ nihil erat) non laudauit modo Cleselium, sed illos etiam qui superstites erant, si essent prioribus similes, mandauit expellere, solumque in Collegio

manere. Alias etiam ab se die vno decem simul amisit, atque in iis vnum qui præterquam modestia fineret per iocum, alterius caput talithro perstrinxisset. Si Societate quanquam nunc adeo hominibus aucta, decem vno die abire cernerentur, quot inde cælum pulsarent querelæ? abuti nos prærogatiuo iure dimittendi, laxiusque, & leues in causas illud porrigere, contrahendum id esse, & reuocandum ad cognitionem iuridicam. Eo tamen haudquaquam Societas vitur, nisi post lentas, & serias non Rectorem modo si res ferat, consultationes; sed Præpositi, & Assistentium. Si qua vero ex parte non dico instaurari, sed tueri se debet, & corroborare Societas, in hac profecto id debet potissimum sui totius integritate, quæ tanti est, conseruanda, matura partium corruptarum amputatione, priusquam ex iis vitium trahat quod sanum est [quanto, ait scribens ad Prouincialem quendam sanctus Pater] præstabilius foret abscissione membri gangrena correpti, corpus reliquum in tuto ponere! Scripsisse memini à P. Clefelio, nouem simul aut decem Coloniae expulsos, ac paulo post totidem, meque iure id factum, quod essent commeriti laudasse. Si foret malo ferrum citius admotum, vnus forsitan aut duorum iactura cæteros conseruasset. Iam S. Ignatio hac in re, S. Xauerius quam consentaneè senserit, egerit, videamus.

XXI.  
Idem Xauerij cum Ignatio sensus in Societate ab indignis purganda.

Fuit vtriusque in hanc mentem, ita concors, certaque consensio, vt orbe toto inuicem disiuncti, quod Romæ Ignatius, hoc idem Xauerius teneret in Indiis, eodem per illos Societatis Fundatore, ac promotore Spiritu diuino, vtrumque pariter agente. At Xauerij mens, non potest certius quam ex tribus eius Epistolis agnosci. Harum vna Cocino sic cum Ignatio loquitur. [non probo vlla vi (nisi quam amor, & caritas adhibet) quenquam in Societate inuitum retineri; sed dimittendum potius, etiam inuitum, quisquis Spiritu eius caruerit.] Aliis Sanciano ad Berseum Goani Collegij Rectorem [Denuò, inquit, tibi mando, vt paucos in Societatem adlegas; eosque vel ad studia literarum, vel ad domestica officia idoneos. Narro tibi seruos; verè, inquam, seruos ad eiusmodi officia domestica emas citius, quàm parum idoneos socios adsciscas censeo. Si qui eorum quos ego dimisi Goæ versantur, caue eos vlllo modo recipias, neque enim sunt ad nostrum Institutum accommodati. Quod si quis superiorem vitam planè emendauerit, idque publicis pœnis sponte susceptis, & diuturnis, planum fecerit; hunc vbi satisfecisse, tibi visus erit; tùm demum in Lusitaniam ad Societatis moderatorem, cum literis commendatitiis mittas licebit: nam istos Indiæ vsui non esse, perspectum habeo. Atque etiam si quis è Societate, siue Sacerdos, siue alius quispiam, grauius aliquid admiserit, cum offensione aliorum, eum statim missum facito, neque cuiusquam deprecatione adductus recipito; nisi forte peccati cognitio, dolor, ac pœna voluntaria eiusmodi fuerit, vt ipsa per se calamitatem ab eo deprecetur. Sin minus, nullo modo recipies, ne ipso quidem Prorege, cunctaque India deprecante.] Quod postremum denique in vita commendatissimum voluit

vir